



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Decretalis constitutio Eutychiani papæ, quid episcopi in synodo inquirere
debeant. xci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

uocata, annunciare debet proprii pastoris aduentum. Et ut omnes, exceptis infirmis, ad eius synodum die denominata imprætermisè occurrant, & omnimodis ex auctoritate sanctorum canonum præcipere, & minaciter denunciare debet, quòd si quis absque graui necessitate defuerit, proculdubio à communione Christiana sit repellendus. Deinde accitis secum presbyteris, qui in illo loco seruitium debent exhibere episcopo, quicquid de minoribus & leuioribus causis corrigere potest, emendare satagat, ut pontifex veniens nequaquam in facilioribus negociis fatigetur, aut sibi immorari amplius necesse sit ibi, quàm expensa sufficiat. Ait enim dominus ad Moysen, de huiusmodi cooperatoribus: Ut tecum, inquit, sustentent onus populi, & non tu solus graueris. Et beatus Ioannes Baptista aduentum domini præcucurrit prædicando, dicens: Pœnitentiam agitte, &c. Et item: Parate viam domino. Siquidem episcopus vicem Christi agere videtur, & ideo cum gaudio timore, & summa reuerentia à plebibus sibi subiectis suscipiendus est: ut illis cum laude dicatur, quod Apostolus discipulis dicit, Testimonium, inquit, vobis perhibeo, quòd ita suscepistis me sicut angelum Dei, sicut dominum Iesum.

Decretalis constitutio Eutychni papæ quid episcopi in synodo querere debeant. Cap. XCI.

Episcopus in synodo residens, post congruam allocutionem, septem ex plebe ipsius parochiæ, vel eo amplius, prout viderit expedire, maturiores, honestiores, atque veraciores viros, in medium debet euocare. Et allatis sanctorum pignoribus, vnumquemque illorum tali sacramento constringat.

Iusiurandum synodale. Cap. XCII.

Amodo in antea, quicquid nosti, aut audisti, aut postmodum inquisiturus es, quod contra Dei voluntatem & rectam Christianitatem, in ista parochia factum sit, aut futurum erit, si in diebus tuis euenerit, tantum, ut ad tuam cognitionem quocunque modo perueniat, si seis aut tibi indicatum fuerit synodalem causam esse, & ad ministerium episcopi pertinere, quod tu nec propter amorem, nec propter timorè, nec propter præmiu, nec propter pa-

*Ex decre.
Eutychni
papæ
cap. 9.*

*Ex eodem
decret.*